IOANNIS FRIDERICI IOACHIM
HALENS.

COMMENTATIO IVRIS PVBLICI
DE

ARCHICANCELLARIATV ARCHIEPISCOPI AC PRINCIPIS ELECTORIS COLONIENSIS PER REGNVM ITALIAE.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

IENAE ET LIPSIAE
APVD IOANNEM FRIDERICVM RITTERVM
A. O. R. CIƆIƆCC XXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO
ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
IVSTO HENNINGIO
BOEHMERO
IVRISCONSVLTORVM CORYPHAEO
POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI
A CONSILIIS INTIMIS ORDINIS IVRE-
CONSVLTORVM VICARIO PRAESIDI ET IN
REGIA FRIDERICIANA PROFESSORI
IVRIS ORDINARIO

PATRONO AC PRAECEPTORI SVO
AETERNVM COLENDO

HOC STVDIORVM SPECIMEN
PIE CONSECRAT

AVCTOR.

Digitized by Google

VIR

ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME!

QVANDOQVIDEM id ingenue fatentur magno & excellenti ingenio viri plerique omnes, iis nos maxime obligari, quorum opera homines, hoc eſt rerum ſcientia præditi ſumus, id omnino rationem habet, vel quod in eo ſitum ſit felicitatis noſtræ principium. Operam profecto luderem, quod ſi,

hæc,

Digitized by Google

hæc, quæ quidem apud omnes certiſſimis certiora ſunt, luculenter probata darem; id quod cuivis facillime erit ad intelligendum. Ego vero tot verbis haut utor, ut conſtet, qui VIR I[illegible]STRIS TIBI *me omnem indiſſolubili nexu obſtrictum æternum teneas. Tot enim tantaque* TV *in me, eius quamvis indignum, qua es generoſa indole, contuliſti beneficia, ut illa in numero habere nequeam, quod omnem numerum excedant. A tanto quippe viro, haut alia quam magna exſpectari ~~poterant, quo quidem~~* TE TIBI VIR ILLVSTRIS *ſemper dediſti quam ſimillimum. Mihi ſi contingeret eſſe adeo beato, id omni induſtria efficere conarer, ceu* TV *omnes indulgentia atque benevolentia ſecundos* TIBI *reddis, ut vel ſic ego omnes poſt me relinquerem* TIBI *deditos quam maxime, grati animi publicis monumentis. Enimvero quum nullus dubitaveris eum mactare beneficiis, quem probe tamen ſciebas malle quidem eſſe gratum reapſe quam poſſe, pro humanitate* TVA *id mihi indulgeas, ut publice profiteri liceat, quot nominibus* TVVS *plane ſim. Neque eſt qui magis ardentiſſimis a Deo id exoret*

precibus, ut tamdiu felix atque ſuperſtes ſis, quam quidem diu id poſtulat ſalus publica, ſalus omnium qui TVI *ſunt, hoc eſt æternum. Id unum adhuc a* TE *beneficii iterum iterumque rogo, ut me adeo felicem reddas qui a* TE *impetrem iuſſu* TVO *occaſionem, qua palam dare poſſim, quam ſim*

VIR ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME

ILLVSTRIS NOMINIS TVI

Scripſi in Regia Fridericiana
d. 21. Iul. 1737.

obſervantiſſimus cultor

IOANNES FRIDERICVS IOACHIM.

Digitized by Google

§. I.

VEL obſcuram Archicancellariatus in regno Italiæ originem, vel dudum poſt Ottonis M. Imp. tempora quærendam eſſe, haut pauci eruditorum adhuc exiſtimarunt.

§. II.

Inter hos primas tenet BERNHARDVS MALLINCROTIVS, qui in pererudito libro *de Archi-Cancellariis & Cancellariis Imperii* ad fidem adfirmavit, tempore Friderici I. Imp. aut ante eius tempora, Henrico III. vivente, Italiæ Archi-Cancellarii officium Eccleſiæ Colonienſis Archiepiſcopis obveniſſe. Quodammodo calculum addere non dubitant DAV. BLONDELLVS *tom. II. Plen. Adſert. Geneal. Franc. p. 247.* STRVVIVS *in Syntagm. Jur. Publ. diſſ. IX.* §. *XIII.* Dn. MASCOVIVS *in Princ. Jur. Publ. lib. III. cap. VII.* §. *XVI.* Libenter eis me præberem credulum, dummodo idoneis, quæ dicunt, auctoritatibus docuiſſent. Quum enim in comperto ſit, ſplendidum Archi-Cancellarii regni Italiæ munus iam dudum ante Friderici I. tempora fixam veluti ſedem ac ſtabile domicilium in Archiepiſcopatu Colonienſi habuiſſe; haut abs re erit, Regni Italiæ Archi-Cancellarii officium, a primis incunabulis inveſtigatum, cum B. L. communicare.

§. III. Ne-

§. III.

Nemo a me expectet explicationem originis, progreſſus atque fatorum Archi-Cancellariorum Imperii. Actum agerem deſcribendo eorum officio, quia hanc ſpartam iam pro virili exornavit MALLINCROTIVS. Sufficit enumerare doctorum virorum ſcripta, qui hoc argumentum plene planeque proſequuti ſunt. Eruditam navavit operam, quem paullo antea nominavi, BERNHARDVS A MALLINCROT, qui Archi-Cancellariorum, ut & Vice-Cancellariorum Imperii munera ſolide excusſit. Nec minus labor Illuſtr. noſtri BOEHMERI pergratus nobis eſt, *de Epiſcopo Vice-Cancellario Imperii.* Huius officium a primis natalibus usque ad noſtra tempora erudite, uti ſemper ſolet, explicuit, ſimulque Vice-Cancellariorum Imperii longum texuit catalogum, ut iure meritoque dicas, Illuſtrem Virum, WAGENSEILIO, qui itidem hoc argumentum pertractavit, caliginem veluti induxiſſe. *Singularem ſane,* inquit cl. FRANCKE in pererudita *de Tris-Camerario diſſertatione, p. 8. hæc diſquiſitio ſpirat eruditionem & ſcientiæ copiam.* Atque Perill. Dn. DE LVDEWIG *in Commentario ad Aur. Bull.* vaſto multifariæ eruditionis Oceano, Archi-Cancellariorum atque Vice-Cancellariorum munera, ſolide, pro more, deſcripſit. Nec laude ſua defraudandus Illuſtr. ac Generoſ. Dn. DE GOEBEL, qui in ſingulari *gratulatoria Epiſtola, ad Reverendiſſ. atque Illuſtriſſ. Comitem* DE OETTINGEN, adcurate *de Capellanis & Cancellariis* egit. Conſcripſit quoque CHRISTFRIED WAECHTER ICtus Dreſdenſis celeberrimus *diſſertationem de Cancellariis veterum,* quæ auro cedroque digna. Extant porro *de Archi-Cancellario Auguſtæ* peculiares *Diſſertationes* Dn. WALDSCHMIDII & Dn. VLRICHI, quorum labor laudem meretur. Hic quoque locum ſibi vindicavit FRANCISCI LANOVII egregius liber, cui titulus: *Syntagma hiſtoricum de Sanctis Franciæ Cancellariis.* Adiectum eſt *Schediaſma*

Digitized by Google

diaſma de Cancellarii nomine, officio & dignitate, Lutet. Pariſ. 1634. 4. Huiç ſubiungendus HERMANNI KIRCHNERI *Morvillerius de officio & dignitate Cancellarii, libris quatuor expoſitus*, Marpurgi 1720. Refer huc, ſi lubet, ſcriptores, qui generatim de Archiofficiis egerunt, ubi nonnulla de Archi-Cancellariis haut ſpernenda, explicata leguntur.

§. IV.

Placet nunc ipſum Regni Italiæ Archi-Cancellarii munus explicare. Italiæ Regnum, ſeu Longobardorum, a Francis armis adquiſitum, omni tempore ſuos aluit Archi-Cancellarios. Nec minus floruerunt in Italia Archi-Cancellarii, quum hoc regnum iam a Francis eſſet avulſum. Ex VGHELLI enim *Italia Sacra* patet, quod tempore Berengariorum, Hugonis & Lotharii Italiæ regum, in Italia fuerint Archi-Cancellarii. Tandem, quum Otto M. Italiæ regnum bello ſubiugaret, atque Germanico Imperio perpetuo uniret nexu, voluit, ut etiam in Italia eſſet Archi-Cancellarius, qui imperatoris codicillis ſubſcriberet. Attamen in Imperatoris arbitrio poſitum fuit, huius Archiofficii collatio. Hinc non mirandum, quando legimus, etiam Italos Archiepiſcopos hoc officio eſſe functos. Enimvero firmiter mihi perſuadeo, quod Otto M. Archiepiſcopum Colonienſem præ reliquis ſplendido Archi-Cancellarii Regni Italiæ munere exornaverit.

§. V.

Lubet igitur fuſiori ſermone exponere, quinam Ottonis M. ævo Italici Regni Archi-Cancellarii ſalutati ſunt. Sane diplomatum fide conſtat, tum temporis trium Archi-Cancellariorum fieri mentionem; quamvis nobis incognitæ ſint rationes, quare mox ille, mox alter Archiepiſcoporum hanc ſpartam exornaverit. Sic legimus de Widone Epiſcopo Mutinenſi, Humberto Epiſcopo

Parmenſi, & Brunone, Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, quod Archi-Cancellarii officium in regno Italiæ adminiſtraverint, ap. SIGON. *libr. VII. de Regno Italiæ p.168.171.* & VGHELL. *tom. II. Ital. Sacr. ſub Parmenſ. Epiſc. in vita Humberti p.200. 201. 202. Chron. Laurisheim. pag.70.* Saltem ex his patet, ea iam ætate Archiepiſcopum Colonienſem Brunonem Archi-Cancellarii munere in Italia eſſe functum. Bruno, cuius hic mentio fit, erat frater Ottonis M. Imp. *Auctor vitæ Mathild. cap. II. n.7.* ap. LEIBNITIVM *tom. I. Scriptor. Rer. Brunſuic. p. 196.* RVOTGER. *in vita S. Brunonis Archiepiſc. Colon. cap. II. tom. I.* ap. eund. *p. 274. Annal. Corbeienſ. ad ann. 942.* in LEIBNIT. *tom II. Script. Rer. Brunſuicenſ. p.300.* SVR. *in Actis SS. ad d. XI. Octobr. p. m. 167.* Alias Bruno elogio Archiducis eſt conſpicuus, ceu id legimus in *Chron. Magn. Belgico p. 80.* vide tamen quæ contra diſputat FELTZ *in Auſtria Principe p. 16.* Cauſſas, quare Otto M. Brunoni Archiepiſcopo Colonienſi Archi-Cancellariatum Italiæ demandaverit, ſingulares prorſus fuiſſe, arbitror. Nam mortuo Wicfrido, Archiepiſcopo Colonienſi, loco huius Bruno Archiepiſcopus conſtitutus fuit ab Ottone M. Et imperator, ex ſingulari erga fratrem propenſione, Eccleſiam Colonienſem amplis latifundiis & poſſeſſionibus locupletavit auxitque. Creavit eundem Ducem Lotharingorum, uti teſtantur DITMAR. *Merſeburgenſ. lib. II. p.335.* FRODOARD. *ad ann. 953.* ANNALISTA SAXO *ad ann. 953.* in ECCARDI *tom. I. Script.* Nullus igitur dubito, quin etiam Imperator ex ſingulari amore, Brunonem fratrem, in noviter adquiſito Italiæ regno creaverit Archi-Cancellarium. Veroſimile etiam videtur, Imperatorem voluiſſe, ut hoc ſplendidum munus æternum maneret in Colonienſi Eccleſia; quamvis non inficias eam, nonnunquam alios hanc dignitatem obtinuiſſe, quod vero per modum ſubſtitutionis accidiſſe, firmiter mihi perſuadeo. Videtur & alia cauſſa adfuiſſe, veluti, quod olim ſæpius in

Digitized by Google

in Auſtraſiæ Lotharingiæque regnis Archi-Cancellarii, ſeu Archi-Capellani fuerint Colonienſes. GELEN. *de Colon. Agripp. Magnit. lib. III.* §. *2. p. 250. ſeq.* AVBERT. MIRAEVS *lib. II. Donat. Piar. Belg. cap. I.* MALLINCROT *de Archi-Cancell. p. 11. edit.* STRVV. GOLDAST. *tom. III.* COLLECT. CONCILIOR. SIRMOND. *p. 189.* HINCMAR. RHEMENS. *de Divortio Lotharii & Teutbergæ.* PAGI *in Crit. Anti-Baron. ad ann. 862. n. IV.* MIRAEVS *in Notit. Eccleſ. cap. 46.* diploma profert, ubi itidem Egilbertus vice Hermanni Archi-Capellani recognovit. conf. MALLINCROT. *p. 25.* Et nunc facile ratio reddi poterit, quare CAROLVS SIGONIVS *lib. VII. de Regno Italiæ p. 176.* ſcripſerit: *Rex autem,* (Otto M.) *adhibito Colonienſi Archiepiſcopo, qui regni Italiæ Cancellarius erat, ex legum ſcitis, & Iurisconſultorum iudicio de rebus omnibus cognoſcebat.* Fruſtra ergo eſt Dn. STRVVIVS, qui in *Syntagm. Jur. Publ. diſſert. IX.* §. *XIII.* SIGONII locum in dubium vocare conatus eſt, dum de eo hoc iudicium ſubiungit: *Licet enim, dum aulam in Italia haberet Otto, Archicancellarium Italiæ adhibuiſſet: non tamen Colonienſis erat, ſed alius Italiæ Epiſcopus.* Verum hanc opinionem eſſe erroneam, nemo non adpoſite videt.

§. VI.

Ottone II. regnante Archi-Cancellarium fuiſſe Petrum, Epiſcopum Papienſem, fide publicorum monumentorum docemur. Ita enim ſubſcriptio diplomatis habet ap. VGHELL. *tom. III. Ital. Sacr. ſub Peſulanis Epiſcopis in vita Petri n. XI. p. 279. 281. Ioannes Cancellarius ad viceni Petri Epiſcopi & Archi-Cancellari recognovi & ſubſcripſi Data VI. kal. Auguſti, anno dominicæ incarnationis 984. Regni Domini Ottonis II. 25. Imperii autem 15.* In alterius diplomatis ſubſcriptione legitur: *Ioannes Cancellarius ad viceni Petri Epiſcopi & Archi-Cancellarii recognovi & ſcripſi.* Ex his tamen minime coniiciendum, ac ſi Archi-Cancellarius Italiæ tum temporis non fuiſſet Colonienſis Archiepiſco-

pus. Nam a duobus Archi-Cancellariis munus hoc adminiſtratum fuiſſe tempore Lotharii Italiæ regis, conſtat ex diplomate, quod publici iuris fecit VGHELLVS *tom. II. Ital. Sacr. ſub Mutinenſibus Epiſcopis in vita Widonis p.128.* ubi: *petitione Adalardi Epiſcopi atque Ugonis Cancellarii.* Et paulo poſt legitur: *Adelricus Levita & Cancellarius recognovi.* Nil itaque mirum, ſi etiam quandoquidem duo ſimul Archi-Cancellarii provinciam obtinuerunt. Et ex vaſto VGHELLI diplomatum opere, compertum habemus, Ottonis M. ævo plures Archi-Cancellarii officio præfuiſſe. Immo in Germania nonnunquam obtinuit iſte mos, ceu vidimus ex diplomate ap. ZYLLES. *in defenſ. Abbat. S. Maximini P. I. p.10.* ubi *ad vicem Brunonis Colonienſis a.953.* ſubſcribitur; quum tamen noto notius ſit, tum temporis Fridericum Moguntinum, & Rupertum Trevirenſem Archiepiſcopos fuiſſe Archi-Cancellarios. Illuſtr. MASCOV. *in Differt. de Orig. Officior. Aulicor.* §. *XII.* Et ſi ordo rerum eo tempore geſtarum conſideratur, vix dubitandum, Ottonem II. Imp. Archiepiſcopo Colonienſi hoc fulgentiſſimum officium contuliſſe. Dilexit enim Warinum Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopum adeo, ut ei tutelam filii Ottonis III. in teneris adhuc annis conſtituti, committeret, ut habet DITMAR. *Merſeburg. lib. III. p.347.*

§. VII.

Sub Henrico II. Imp. quem antiqua Eccleſia ob vitæ probitatem & egregia merita in coelitum numerum retulit, Eberhardum Bambergenſem Epiſcopum Italiæ Archi-Cancellarium fuiſſe, probatum ivit IO. MABILLON. *tom. IV. Annal. Ordin. Bened. lib. LIII. n. LXVII. p.254.* Et ap. VGHELL. *tom. IV. p.734.* & *tom. V. p. 283. 752.* extant diplomata vice Eberhardi Epiſcopi Archi-Capellani & Archi-Cancellarii recognita. Sed hoc officium haud diu adminiſtravit Eberhardus, ſiquidem paullo ante Henrici

rici II. Piligrinus Archiepiſcopus Colonienſis Archi-Cancellariatui trans alpes præfuit. Id colligo ex HVGONIS FARVENSIS ABBATIS relatione, *de imminutione rerum monaſterii ſui p. 701.* *Conſenſu,* inquit, *ac conſilio Piligrini Archiepiſcopi & Cancellarii prædicti Imperatoris iunximus nos cum Oddone & Creſcentio, filiis Octaviani, &c.* Et LEO OSTIENSIS *lib. II. Chron. Caſſinenſ. cap. XLIII. p. 250.* ait: *Imperator* (Henricus) *admonitus a Piligrino & Theodorico Cancellario ſuo altera die fecit præceptum conceſſionis de Rocca, quæ dicitur Vantra &c.* Facit LEO OSTIENSIS mentionem Piligrini, de quo conſtat, quod munere Archi-Cancellarii Regni Italiæ fuerit functus. Sed crucem figit Theodoricus, de quo IDEM AVCTOR ſcribit, quod Cancellarius fuerit Imperatoris. Putaret quis, eum Italiæ Archi-Cancellarium fuiſſe; ſed obſtat, quod Piligrinus primo loco collocetur a LEONE OSTIENSI. Huic autem ſubiungitur Theodoricus, qui modo Vice Cancellarius fuit. Et ſane clarior fiet res, ſi diplomata inſpiciamus, quibus ſubſcripſit Hermannus, quem ANNAL. HILDESHEIMENS. *ad ann. 1036. p. 728.* Colonienſis Eccleſiæ Archidiaconum, regium Capellanum, & Ciſalpinum Cancellarium ſalutant. Extat eiusmodi diploma anno 1035. confectum, quod exhibet VGHELL. *tom. II. Ital. Sacr. p. 210.* ubi ſubſcriptio habet: *Hermannus, ſacri palatii Cancellarius, vice Pellegrini, Archiepiſcopi* & Archi-Cancellarii recognovit. Et *pag. 211.* in alterius diplomatis ſubſcriptione legitur: *Hermannus, Cancellarius vice Pellegrini, Archiepiſcopi & Archi-Cancellarii, recognovit.* Habemus etiam diplomata Conradi Salici Imp. quæ ſubſcriptiones habent: *Brun Cancellarius ad vicem Piligrini Archi-Cancellarii recognovi.* vid. VGHELL. *Ital. Sacr. tom. I. p. 445.* & *tom. V. p. 149.* Mortuo Piligrino compertum habemus, Archi-Cancellariatum Italiæ ab eius ſucceſſore Archiepiſcopo Colonienſi, Hermanno ſcil. de quo iam diximus, adminiſtratum eſſe. Claris verbis id legimus in diplomate, quod in lu-

Digitized by Google

cem protraxit ANGELVS DE NVCE *in Notis ad* LEON. OSTIENS. *lib. II. cap. LXVI. p. 278. lit. a.* legitur ibi: *Radelous Cancellarius vice Hermanni Archi-Cancellarii recognovit. Actum Benevento feliciter.* Extat etiam diploma apud VGHELL. *tom. II. Ital. Sacr. p. 212.* ubi vice Hermanni ſubſcribitur. conf. plura diplomata, quæ vice Hermanni recognita leguntur ap. VGHELL. *tom. I. p. 993. tom. IV. p. 56. 357. 445. tom. V. p. 512. 555. tom. VI. p. 699.*

§. VIII.

Henrici III. ætate Hermannus adhuc fuit Regni Italiæ Archi-Cancellarius. A ſummo pontifice Leone IX. anno 1049. S. R. E. Archi-Cancellarius creatus eſt. Et quidem Pontifex voluit, ut Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi ſucceſſores hoc officio defungerentur, nec illud ullo modo ab eis divelleretur, ceu ſuſpicatur MALLINCROT. *de Archicancell. cap. V. p. 201.* conf. WICBERTVS *in vita Leonis IX. lib. II. cap. V. p. 71. 72.* Perilluſtr. Dn. DE LVDEWIG *ad Aur. Bull. tom. II. p. 594.* Extant etiam diplomata, quæ produnt Colonienſes Archiepiſcopos Pontificum Romanorum Archi-Cancellarios. Suppeditat argumentum ANGELVS DE NVCE *ad Chron. Caſſinenſ. lib. II. cap. LXXXVII. p. 300. Data per manum Frederici Diaconi, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cancellarii & Bibliothecarii, vice domini Herimanni Archi-Cancellarii atque Coloniæ Archiepiſcopi.* Obſervat Perilluſtr. Dn. DE LVDEWIG, id notatu eſſe dignum, quod Archi-Cancellarii Pontificis nomen ſtet primo loco, & quidem præ Archiepiſcopo. Meo iudicio, uti Papa ſemper præcedentiam adfectavit, id hic etiam haut intermiſit. Et uti moris eſt Pontificibus, ut nomina ſua in Epiſtolis primo loco conſtituant; veriſimile fit, eos etiam voluiſſe, ut in diplomatibus Archi-Cancellarius Pontificis præponeretur Archiepiſcopo. Quem etiam fugit, quod Fridericum I. Imp. odio habuerit Pontifex, quod nomen ſuum in epiſtola quadam ad

illum

illum præpoſuiſſet, ceu teſtatur RADEV. FRISINGENS. *lib. I. cap. XX.* conf. Perill. Dn. DE LVDEWIG *Opuſc. de Næn. Pontif. de Jure Reg. adpelland. tom. I. opuſc. III. cap. IV. §. 3. p. 189.* Occurrunt innumera aliorum Pontificum diplomata, quæ vice Archiepiſcopi Colonienſis ſunt recognita ap. VGHELL. *tom. I. Ital. Sacr. p. 993. 449. tom. II. p. 167. 533. tom. III. p. 409. tom. IV. p. 375. 445. tom. V. p. 512. 759. 764. tom. VI. p. 699.* vid. BARON. *tom. XI. Annal. Eccleſ. ad ann. 1051. n. IX. p. 201.* Putarem igitur, diplomata tum temporis exarata, non autem vice Archiepiſcopi Colonienſis tanquam Pontificis Archi-Cancellarii recognita, manifeſto falſitatis eſſe arguenda. Sequioribus tamen temporibus, quod mireris, ut & hodie, Archiepiſcopi Colonienſes, non amplius titulo S. R. E. Archi-Cancellarii utuntur in diplomatibus; ſed Regni Italiæ Archi-Cancellarii audiunt. Hodie Romanus Pontifex nullum amplius habet Archi-Cancellarium, ſed modo alit Cardinalem Cancellarium, qui Archi-Cancellarii vices gerit. Nec dubitandum, quin hoc ideo fiat, quia Romanæ Eccleſiæ dignitas Archi-Cancellarii olim Colonienſi Archiepiſcopo fuerit collata. Aliam quidem cauſſam Cardinalis Vice-Cancellarius ſuggerit, nimirum, quod Pontifex ipſe velit munere Archi-Cancellarii defungi: quam tamen fucatam ac ſimulatam eſſe, nemo non intelligit.

§. IX.

Progredimur ad Henrici IV. Imperatoris tempora. Iisdem temporibus Archiepiſcopum Colonienſem, ut eius prædeceſſores, Archi-Cancellarium fuiſſe, adfirmare vix dubito. Sed dubium ſubnaſci poſſet ex diplomate, quod publici iuris fecit VGHELL. *tom. III. Ital. Sacr. in Hiſt. Archiepiſc. Piſan. in vita Gerardi n. XXXIX. p. 420.* ubi ſubſcriptio habet: *Burchardus Cancellarius vice Sigerini Archi-Cancellarii recognovi.* Sed corruit ſententia noſtra? Neutiquam. Nam hoc quidem diploma nullius

falſitatis

falſitatis arguendum eſſe cenſeo; attamen per ſubſtitutionis modum vice Sigerini eſſe recognitum, puto. Liquido enim conſtat, iisdem temporibus Annonem Colonienſis Eccleſiæ Archipræſulem munere Archi-Cancellarii Regni Italiæ eſſe functum. Claris verbis id legimus in diplomate anno 1063. confectum ap. VGHELL. *tom. II. Ital. Sacr. p. 364.* ubi Anno vocatur Archi-Cancellarius. Ita etiam alia diplomata vice Annonis recognita legimus ap. EVND. *tom. II. p. 363. tom. IV. p. 597. tom. V. p. 404.*

§. X.

Henrico V. gubernacula Imperii tenente, Archi-Cancellarii munus in Regno Italiæ adminiſtraſſe Colonienſem Archiepiſcopum, noto notius eſt. Id enim facile colligi poteſt ex diplomate, quo Henricus V. Imper. anno 1122. Caliſto inveſtituram Epiſcoporum Germaniæ per baculum & annulum conceſſit, quod exhibet Eminentiſſimus Cardinalis BARONIVS *tom. XI. Annal. Eccleſ.* qui illud ex tabulario Pontificis Vaticano depromſit. Ibi ſubſcriptio habet: *Fridericus Colonienſis Epiſcopus & Cancellarius recognovit.* Hoc inſtrumentum etiam extat in IO. SCHILTERI quantivis pretii libro *de Libert. Eccleſ. Germ. lib. IV. cap. V.* §. *6. p. 562.*

§. XI.

Quum Lotharius II. Imp. in Italiam tenderet, Norbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis Regni Italiæ Cancellarius renunciatus eſt. Cave tamen exiſtimes, ac ſi tunc temporis Regni Italiæ Archi-Cancellariatus ab Eccleſia Colonienſi eſſet divulſus: Minime gentium. Contrarium enim ſatis ſuperque ex relatione Chronographi Saxonis ap. LEIBNIT. *tom. I. Acceſſion. Hiſtoricar.* patet, qui: *Lotharius,* inquit ad ann. 1132. *Longobardorum fines intravit. Et quia Archiepiſcopus Colonienſis defuit, qui iure debet eſſe Cancellarius in illis partibus, Norbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis huic officio deputatus eſt.* conf.

Coron.

Chron. Magdeb. ap. MEIBOM. *tom. II. Scriptor. Rer. Germ. p. 327.* ANT. PAGI *in Crit. Anti-Baron. ad an. 1133. n. VIII. p. 484.* Adductus CHRONOGRAPHI SAXONIS locus conficere videtur id, quod iam ſuſpicatus ſum, videlicet, ſatis diu hanc provinciam tenuiſſe Colonienſes Eccleſiæ Archipræſules, atque tum temporis eam ſententiam omnium fuiſſe: Colonienſem Archiepiſcopum debere eſſe Regni Italiæ Archi-Cancellarium. De Norberto confer ſis RICHARDI *Diſſertationem de Pſeudo Norberto,* ubi *cap. I.* Hiſtoriam noſtri Norberti copioſius explicavit. Miror tamen cl. RICHARDVM eiusdem Archi-Cancellariatum non commemoraſſe. Anno demum 1137. Archiepiſcopus Colonienſis, Bruno cum Imperatore Lothario in Italiam profectus, atque Archi-Cancellarii officio potitus eſt, id quod adfirmat CHRONOGR. SAXO *ad an. 1137. p. 293.* Huius CHRONOGRAPHI adſertum publicorum monumentorum fide nititur, & ideo magni æſtimandum pretii. conf. diplomata, quæ exhibet VGHELL. *tom. II. Ital. Sacr. p. 288. tom. IV. p. 433. tom. V. p. 1014.* Omnia hæc vice Brunonis Archi-Cancellarii recognita ſunt.

§. XII.

Idem ſentiendum mihi videtur de Conradi III. Imp. ætate; quamvis non negaverim, obſtare cauſſas, quæ noſtram opinionem incertam plane aut dubiam reddere videntur. Quamobrem operam ſedulo dabo, ut nodus iſte, plus quam Gordius, ſolvatur. Si diplomata inſpiciuntur, quæ tunc temporis exarata ſunt, nusquam quoddam vice Archiepiſcopi Colonienſis recognitum reperimus, ſed fere omnia nomen Moguntini Archipræſulis in ſubſcriptione præ ſe ferunt. Illuſtrationis ergo licebit cuiusdam documenti ſubſcriptionem, quæ adprime huc facit, adducere. Ita enim legitur ap. VGHELL. *tom. III. Ital. Sacr. p. 392.* *Arnoldus Cancellarius vice Alberti*

Moguntini Archi-Cancellarii recognovi. Alia diplomata apud EVNDEM *tom. IV. p. 367.* & *tom. V. p. 64.* eædem ornant ſubſcriptiones. Taceo alia documenta, quæ publici iuris fecerunt HEDA *in Hiſt. Ultraiect. p. 167.* & NICOL. SCHATEN. *p. 763. 772. 774. 793.* Hinc nonnullis poſſet oriri opinio, iisdem temporibus ſparſam Archi-Cancellarii Regni Italiæ nonniſi Moguntinos Archiepiſcopos exornaſſe; Colonienſes contra ſplendido hoc officio caruiſſe. Nequaquam vero. Nam paullo antea luculenter probavimus, iam ante tempora Imperatoris Conradi III. pro certa ac firma regula fuiſſe receptum: neminem, niſi Colonienſis Eccleſiæ Antiſtitem poſſe Italiæ regni Archi-Cancellariatui præeſſe. Quoniam itaque Colonienſes Archiepiſcopi ſatis diu hanc provinciam tenuerant; vix veriſimile videtur, Conradum III. Imper. de ſucceſſore Moguntino Colonienſibus mittendo unquam cogitaſſe. Sed obſtare noſtræ ſententiæ diplomata videntur, quæ alias probare, in vulgus notum eſt. Verum enim vero, diplomata, quæ contrarium probare videntur, nobis potius, ad ſententiam noſtram corroborandam, proſunt. Quem vero latet, Conradum Imp. Latii meditullium numquam adſpexiſſe, ſed intra limites Germaniæ ſe detinuiſſe? Tralatitium porro eſt, Italicarum rerum curam atque expeditionem penes Colonienſem Archiepiſcopum fuiſſe, ſi Imperator & ipſe Archiepiſcopus uterque in Italia eſſent præſentes. Contra abſente Imperatore, atque in Germania commorante, res Italiæ ad Moguntinum Archiepiſcopum tanquam totius Imperii per Germaniam Archi-Cancellarium pertinuiſſe, manifeſto conſtat. vid. MALLINCROT *de Archicancellar. p. 40. edit.* STRVV. Hoc adeo verum eſt, ut iure meritoque dicas, frivolam eſſe fabulam eorum, qui ex parte adverſa ſtant, & vix refutatione dignam. Facile ergo ratio reddi poteſt, quare Conradi III. Imper.

tempo-

tempore nonnulla diplomata vice Moguntini Archiepiſcopi Cancellarius recognoverit.

§. XIII.

Suceedunt illa tempora, quibus Fridericum I. Imp. Archiepiſcopos Colonienſes ſulgentiſſimo Archi-Cancellarii regni Italiæ munere in omnia ſecula exornaſſe, communi veluti concentu ab hiſtoriæ gnaris literis memoriæ prodi ſolet. Verum enim vero, qui ea, quæ paullo antea a me de antiquitate Archi-Cancellarii Regni Italiæ prolata ſunt, rite penſitabit, animadvertet, hoc ſine ullo fundamento, immo contra omnem, cum hiſtoriæ, tum publicorum monumentorum fidem ~~adſeri~~. Sed nolo hic ~~prolixius excurrere, quia~~ iam ea, quæ ad hanc rem pertinent, ſupra copioſius pertractavi. Arctiori igitur nexu dudum iam Italiæ Regni Archi-Cancellariatus cum eccleſia Colonienſi fuit coniunctus, adeo, ut eius Archi-Epiſcopis Fridericus I. eum neque potuerit dare, aut illis ullo modo eripere. Quoniam igitur iſte Archi-Officium a multis retro annis ſtabile domicilium in Colonienſi Archiepiſcopatu habuerit; non mirandum, quod eius Archiepiſcopi etiam Friderici I. ætate ſe Regni Italiæ Archi-Cancellarios adpellaverint. Hoc teſtantur literæ Raynaldi Colonienſis Eccleſiæ Archipræſulis, in quibus ille audit Regni Italiæ Archi-Cancellarius. Nonnullas chartas produxit DV CHESNE *tom. IV. Script. Rer. Franc. p. 578.* ex quibus hoc liquido patebit. Ita enim legitur in *Epiſt. XLVI.* ap. EVND. c. l. *Dilecto Domino & amico venerabili Sueſſionenſi Epiſcopo, & Regni Francorum Cancellario. Rainaldus Dei gratia S. Colonienſis electus, & Italici Regni Archi-Cancellarius, ſalutem & intimæ dilectionis obſequium.* Et eiusdem *Epiſt. CCCCLIV. ad Ludovicum VII. p. 727.* habet: *Prænobili Domino, Ludovico glorioſo Regi Francorum, R. Dei gratia S. Colonienſis Ec-*

Digitized by Google

cleſiæ Electus, & Italiæ Archi-Cancellarius ſalutem, & affectus cum ſincera dilectione obſequium. Quid? quod ipſe Imperator Fridericus I. Raynaldum Regni Italiæ Archi-Cancellarium ſalutat. Nam *in Epiſtola ad Henricum Trecenſem* legitur: *Electi omnes, qui præſentes aderant, primo Reinaldus Colonienſis Electus & Italiæ Archi-Cancellarius.* Porro loquuntur publica monumenta. Charta Friderici I. pro Eccleſia Maſſilienſi, referente DAV. BLONDELLO *in Plen. Adſert. Geneal. Franc. p. 247.* ita habet: *Ego Chriſtianus Cancellarius, vice D. Rainaldi Colonienſis Archiepiſcopi & Italiæ Archi-Cancellarii recognovi. Actum quoque eſt Anno Dom. Incarn. 1164. Indict. XII. regnante D. Friderico Imp. glorioſiſſimo, anno regni eius 12. imperii vero 8. Datum apud S. Salvatorem iuxta Papiam 15. kal. Maii.* Exhibet quoque diplomata VGHELLVS *tom. V. Ital. Sacr. p. 152.* ubi Reginaldi Archi-Cancellarii mentio fit. Et *pag. 153.* ſubſcriptio diplomatis habet: *Ego Ulricus Cancellarius vice Raynaldi Archiepiſcopi Coloniæ & Italiæ Archi-Cancellarii recognovi.* Revoco hac occaſione mihi in memoriam, quod ſupra iam dixi, nimirum, in diplomatibus Pontificis vice Archiepiſcoporum Colonienſium recognitis ſemper præponi titulum Archi-Cancellarii Pontificis titulo Archiepiſcopali. Hic vero obſervandum eſt, Archi-Cancellarium in Imperatorum codicillis poſtponi Archiepiſcopo: qui mos tam altas egit radices, ut hodienum ſit in viridi obſervantia. Tres enim Eccleſiaſtici Electores, Moguntinus, Colonienſis & Trevirenſis in literis prius ſe appellitant Archiepiſcopos; tunc Archi-Cancellarios & Electores. Vt ita etiam uti Electores principes ſeculares eundem ſervent morem, qui itidem Archiofficia præponunt Electorali titulo. Sed e diverticulo in viam redeundum eſt. Quod Raynaldi ſucceſſores Regni Italiæ Archi-Cancellarios ſe adpellitarint, nunc probandum eſt. Patet id ex privilegio conceſſo, quod in

Digitized by Google

in lucem evulgavit IO. CHAPEAVVILL. *tom. II. Scriptor. Leodienſ. p. 107. ſeq.* ibi: *Ego Arnoldus Colonienſis Archiepiſcopus, & Italiæ Regni Archi-Cancellarius recognovi.* conf. LVNIG. *tom. II. Spicil. Eccleſ. p. 503.* Et apud LEIBNIT. *in Prodr. Cod. Jur. Gent. Diplom. n. 4.* ſubſcriptio diplomatis habet: *Ego Godefridus Cancellarius vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopi & Italici regni Archi-Cancellarii recognovi.* Ita quoque paſſim apud VGHELL. *tom. V. Ital. Sacr. p. 802. 1207.* diplomata occurrunt, quæ mentionem Philippi faciunt. Charta pro Lugdunenſium Archiepiſcopo Heraclio, adnotante DAV. BLONDELLO *in Plen. Adſert. Geneal. Franc. p. 247. Godefridus Imperialis aulæ Cancellarius, vice Philippi Colonienſis Archiepiſcopi, & Italiæ Archi-Cancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Domini Incarn. 1184. Indict. III. regnante D. Friderico Rom. Imper. glorioſiſſimo, anno regni eius XXXIII. imperii vero XXXI. Datum in villa S. Zenonis iuxta Veronam 3. kal. Novembr. feliciter, Amen.* Hæc omnia me in admirationem rapiunt. Nam diploma recognitum eſt vice Philippi Regni Italiæ Archi-Cancellarii, & tamen conceſſum Lugdunenſi Archiepiſcopo, extra regni Italiæ limites conſtituto. Num hoc per modum ſubſtitutionis factum ſit; an Colonienſis Archiepiſcopus, ſi cum Imperatore eſſet in Italia, res, ad loca extra Italiam pertinentes, curaverit? aliis diiudicandum committo.

§. XIV.

Tempore Henrici VI. Archi-Cancellarii Italiæ munus obiiſſe Lotharium Epiſcopatus Leodienſis Præpoſitum AEGIDIVS AVREAE VALLIS RELIGIOSVS *in Geſtis Pontificum Leodienſium cap. LIX. p. 139. 140.* auctor eſt. *Imperator,* inquit, *in curia generali conſtituit Lotharium ſibi Archi-Cancellarium regni ſui citra Alpes in proximo inveſtiendum regalibus Leodienſis Epiſcopatus.* Porro: *Imperator Lotharium inveſtiit regalibus Leodienſis Epiſcopatus, quem*

pridie deſignaverat Archi-Cancellarium regni Teutonici, honore Archi-Cancellariæ, ſicut erat condictum inter eos palam reſignato in manu principis. Sat bene! Sed longe ante tempora Henrici VI. Imp. ſtetit Archi-Cancellariatus dignitas in Colonienſi Eccleſia, ceu id paullo antea probatum ivimus: ergo nullum eſt dubium, quin eo tempore iſta dignitas quoque penes Colonienſem Archiepiſcopum fuerit. Potius igitur dicendum, Lotharium Eccleſiæ Leodienſis Præpoſitum Regni Italiæ Archi-Cancellarium neutiquam fuiſſe; ſed modo Vice-Cancellarium, ſeu, uti medii ævi ſtilus eſt, Cancellarium. Deinde, ſi etiam a parte AEGIDII ſtare velimus, obſtant tamen diplomata, ex quibus noſtra ſententia tam clara ſit, ut vix amplius dubium hæreat. Ita enim documentum apud VGHELL. *tom. I. Ital. Sacr. p. 850.* habet: *Ego Dicerius Imperialis aulæ Cancellarius vice D. Philippi III. Archiepiſcopi & totius Italiæ Archi-Cancellarii recognovi.* Et *tom. IV. p. 174. Ego Cununcus Imperialis aulæ Cancellarius vice Domini Adolfi Colon. Archiepiſcopi totius Italiæ Archi-Cancellarii recognovi.* Porro *tom. II. p. 221. Ego Cunradus imperialis aulæ Cancellarius vice Domini Adolfi Colon. Archiepiſc. totius Italiæ Archi-Cancellarii.* Exhibet etiam diplomatis ſubſcriptionem Perilluſtr. Dn. DE LVDEWIG *tom. II. comment. ad Aur. Bull. p. 600.* ubi: *Recognitum a Cunrado imperialis aulæ Cancellario Hildeshemienſi electo, vice Adolfi Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi & totius Italiæ Archi-Cancellarii. Anno 1196. indict. XIV. apud Taurinum 5. kal. Aug. per manum Alberti, imperialis aulæ protonotarii. Regnante Henrico VI. Rom. Imperatore.* In hoc documento, cuius ſubſcriptionem recitavi, Henricus VI. Imp. confirmat Ainardo Viennenſi Archiepiſcopo dignitatem Arelatenſis Archi-Cancellariatus. Et quoniam Imperator tum temporis in Italia fuit, Colonienſis Archiepiſcopus, tanquam Regni Italiæ Archi-Cancellarius, curavit res, quæ ad

Digitized by Google

ad Italiam non pertinuerunt. Supra iam eiusmodi documentum dedi, quod itidem vice Colonienſis Archiepiſcopi recognitum eſt, itidemque concernit res ad Arelatenſe Regnum pertinentes. Vt ideo mihi oriatur opinio, Archiepiſcopum Colonienſem cum Imperatore trans Alpes commorantem, res quoque ad Arelatenſe ſeu Burgundicum Regnum pertinentes, curaſſe.

§. XV.

Ottonis IV. Imp. ætate Archiepiſcopum Colonienſem, ut eius prædeceſſores, provinciam Archi-Cancellarii Italiæ tenuiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Extant enim diplomata Ottonis IV. quæ Conradum Epiſcopum Spirenſem vice Theoderici Colonienſis Archiepiſcopi & totius Italiæ Archi-Cancellarii, recognoſcentem oſtendunt, apud VGHELL. *tom. I. Ital. Sacr. p.555. tom. II. p.175.635. tom. III. p.300. tom. IV. p.633. tom. V. p.1049. tom. IX. p.954.* add. LVNIG. *Archiv. Imp. Part. ſpec. contin. III. ſect. III. p.356.*

§. XVI.

Porro ſub Friderico II. Imp. Colonienſis Archiepiſcopus Regni Italiæ Archi-Cancellarius celebratur, ceu videri poteſt ex diplomatibus, quæ publici iuris fecit VGHELL. *tom. II. Ital. Sacr. p.19. p.659.* & *tom. IV. p.1073.* ubi: *Conradus Spirenſis & Metenſis Epiſcopus Cancellarius vice Engelberti Colonienſis Archiepiſcopi & totius Italiæ Archi-Cancellarii recognovit.* Sed hic detegendus venit error DAV. BLONDELLI, qui poſt Friderici II. triſtes exequias regias chartas neque a Moguntino, Colonienſi & Trevirenſi, per ſe; neque ad eorum vicem, ab aliis ſcriptas, recognitas, conſignatas fuiſſe tanta fiducia tradit, ut iurares, hæc veritati conſentanea eſſe. Vnde vero tibi in mentem venit BLONDELLE, ut hoc ſcriberes? Vice Colonienſis Archiepiſcopi recognita ſunt diplomata,

ta,

ta, quæ paullo antea allegavimus. Vice Sifridi Moguntinæ Sedis Archiepiſcopi totius Germaniæ Archi-Cancellarii Friderici II. Imp. ætate Conradus diploma recognovit, quod exhibet LVNIG. *P. II. Spicil. Eccleſ. p. 752.* Aliæ chartæ extant apud EVND. *in Archiv. Imper. Part. ſpec. contin. I. ſect. I. p. 5.* & *Part. ſpec. contin. II. ſect. III. p. 357.* Ita deſtructus eſt iam primus a BLONDELLO infeliciter obverſus aries. Nec alter meliorem ſortem habebit. Scribit BLONDELLVS *in Plen. Adſert. Geneal. Franc. p. 247.* non hæreditario ad Archi-Cancellariatum iure, trium ſedium nunc electoralium præſules vocatos eſſe ante Friderici II. tempora; ſed pro principis cuiusque arbitrio, modo hic, modo ille, ſive ad tempus, ſive ad vitam, quicquid id muneris exercuiſſe. Non opus eſt refutatione, nam, qui antea a nobis tradita paullo penitius examinabit, reperiet, a multis retro ſæculis Archiepiſcopos, & Moguntinenſem & Colonienſem muneribus Archi-Cancellariatus tam Germaniæ, quam Italiæ functos fuiſſe. Diplomata, quibus Moguntini Archi-Cancellariatus ſatis ſuperque patet, publica luce donarunt SCHATENIVS, LVNIGIVS, VGHELLVS, SCHANNAT, HEDA, MIRAEVS, HVNDIVS, GEWOLDVS, BROWERVS, MALLINCROTIVS, aliique paſſim. De Colonienſi autem diplomata ſuppeditat, ex quibus BLONDELLI erronea opinio facile refelli poteſt.

§. XVII.

Quod ad ſequiora adtinet tempora, non inficior, rara eſſe diplomata vice Archiepiſcoporum Colonienſium recognita. Nihilominus tamen ſub Henrico VII. vulgo Luzenburgico, extant documenta, quorum ſubſcriptiones, Colonienſes Archiepiſcopos regni Italiæ Archi-Cancellarios, manifeſto produnt. Nonnulla diplomata, ex quibus hoc patet, inveniuntur apud VGHELL.

tom. IV.

tom. IV. Ital. Sacr. p. 385. tom. III. p. 449. LVNIG. *in Cod. Ital. Diplom. tom. I. p. 631.* WENCKER. *in not. ad Mallincrot. de Archicancell. p. 279. 625. 226.* Quin imo exaratum eſt diploma, quod FREHER. *ad* PETR. DE ANDLO *lib. II. cap. I.* ubi legitur: Wir Syveſt Ertz-Biſchoff von Collen, des Reichs von Oberberge Ertz-Cantzler. conſ. HERTII *Diſſert. de Fide Diplomatum.* Ipſe Imperator Henricus VII. Colonienſi Archiepiſcopo privilegium conceſſit, ut ab itinere Italico abeſſe, & Archi-Cancellarii officium per ſubſtitutum exercere poſſet. vid. GELEN. *de Magnitud. Colon. p. 76.* THVLEMAR *de* OCTOVIRATV *cap. XII. §. 4.* STRVVIVS *in Syntagm. Jur. Publ. diſſ. XVII. §. IX.* Ex quo privilegio manifeſto patet, Henrici VII. temporibus, Regni Italiæ Archi-Cancellarii munus adhuc in Colonienſi Eccleſia ſtetiſſe, & ab Archiepiſcopis exercitum eſſe. Magni momenti porro eſt documentum, quod BECKLER *in Stemm. Rhuten. p. 285.* exhibet. Conceſſit hoc Ludovicus IV. Imp. Rhutenis, de feudis ipſorum Papiæ 1329. & a Vice-Cancellario Colonienſis Archiepiſcopi recognitum eſt.

§. XVIII.

Multo rariora ſubſequutis temporibus ſunt diplomata vice Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum ſignata atque recognita. Iam ut ad certiora progrediamur, incidimus in Wilhelmum Colonienſem Archipræſulem, qui Carolo IV. imperante Italiæ regni Archi-Cancellariatum obtinuit. Sane de hac dignitate abunde teſtatur charta, quam in lucem protraxit GAMMVRINI *tom. I. Hiſtor. Geneal. p. 170. 171.* ubi ſubſcriptio ita habet: *Carolus IV. Dat. Piſis ann. 1355. Ego Ioannes Dei gratia Luthomoſtienſis Epiſcopus ſacræ imperialis aulæ Cancellarius, vice Reu. in Chriſto patris D. Wilhelmi Colonienſis Archiepiſcopi S. I. per Italiam Archi-Cancellarii, recognovi.*

D §. XIX.

§. XIX.

Ab his temporibus diplomata non amplius vice Colonienſium Archiepiſcoporum recognita inveniuntur, ſed omnia Moguntinum Archiepiſcopum Germanici Imperii Archi-Cancellarium in ſubſcriptionibus monſtrant. Cauſſæ in promptu ſunt. Quum enim Imperatores non amplius trans Alpes proficiſcerentur, non opus fuit ſubſcriptione diplomatum & auguſtalium codicillorum per Archiepiſcopum Eccleſiæ Colonienſis; ſed hæc ſparta ſoli relicta eſt Moguntino Archiepiſcopo, totius Germaniæ Archi-Cancellario: quippe qui iam multis abhinc ſæculis, imperatore in Germania degente, rerum Italicarum curam ſibi iure meritoque vindicavit, atque hanc ſpartam usque ad noſtra tempora exornavit. CAPITVL. CAROLI VI. *art. X.* & *XXII.* Sed nihilominus Colonienſes Archiepiſcopi Regni Italiæ Archi-Cancellarii fuerunt, & manebit tamdiu apud eos ſplendidum hoc atque magnificentiſſimum officium, quamdiu in flore erit Germanicum imperium. Et nullus dubito, quin Archiepiſcopus Colonienſis, ſi cum Imperatore eſſet in Italia, res expediturus ſit. Mecum ſentiunt MALLINCROT *de Archicancellar. p. 33.* HORNIVS *in Jur. Publ. Prud. cap. XXVIII. §. 2.* L. B. DE LYNCKER, *de Archivo Imperiali p. 16.* Hinc quoque in AVREA BVLLA Imp. Carolus IV. Archiepiſcopo Colonienſi Italiæ Archi-Cancellariatum confirmavit. Vtuntur ergo Colonienſes Electores titulo Archi-Cancellarii, & ſe adpellitant des Heil. Röm. Reichs durch Italien Ertz-Cantzler und Churfürſten. Vti vero ceteris Archi-Cancellariis Moguntino & Trevirenſi officium in curia imperiali ſolemni iniungitur; ita etiam eiusmodi munus Colonienſi Archiepiſcopo demandatur. AVR. BVLL. *tit. XVI. §. 2. Portabit etiam Archi-Cancellarius, in cuius Archi-Cancellariatu hæc fuerunt ſuper baculo argenteo omnia ſigilla & typaria imperialia & regalia.*

Digitized by Google

lia. Et *tit. XXVII.* §. *3. Ingreſſo vero Imperatore vel rege ad menſam principes electores eccleſiaſtici, videlicet Archiepiſcopi, ſtantes ante menſam cum ceteris prælatis, benedicent eandem ſecundum ordinem, qui circa hæc etiam in ſuperioribus eſt præſcriptus. Et benedictione completa, iidem Archiepiſcopi omnes, ſi adſint, alioquin duo vel unus, ſigilla & typaria imperialia ſive regalia a cancellario curiæ recipiunt. Eoque, in cuius Archicancellariatu curiam ipſam celebrari continget, in medio procedente & aliis duobus ex alterutro latere ſibi iunctis, ſigilla & typaria ipſa, omnes quidem baculum, in quo ſuſpenſa fuerint manibus contingentes eam portabunt & ante imperatorem & regem reverenter ponent in menſa. Imperator ſive rex eadem ipſis ſtatim reſtituet. Et ~~in cuius Archi-Cancellariatu~~ hoc fuerit, ut præfertur, is maius ſigillum collo appenſum usque ad finem menſæ geſtabit & deinceps donec ad hoſpitium ſuum perveniat, ab imperiali ſive regali curia equitando. Baculus vero, de quo præmittitur, eſſe debebit argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere. Cuius tam argenti, quam pretii partem tertiam unus quisque Archiepiſcoporum ipſorum perſolvet. Et baculus ipſe protinus, una cum ſigillis & typariis debet Cancellario imperialis curiæ aſſignari, in uſus ſuos bene placitos convertendus. Poſtquam autem is, quem ordo tetigerit, portando ſigillum maius, ab imperiali curia ad hoſpitium ſuum redierit, ut refertur ſtatim ſigillum ipſum per aliquem de ſuis familiaribus prædicto imperialis curiæ cancellario remittet ſuper equo. Quem iuxta propriæ dignitatis decentiam & amorem, quem ad curiæ cancellariorum geſſerit, ipſi cancellario tenebitur elargiri.* Exinde dilucide patet, Regni Italiæ Archi-Cancellarium hodie non nudam ſpeciem præ ſe ferre, ſed omnino magni quid in receſſu habere. Exinde etiam colligimus, Imperatorem atque Imperium Germanicum ius in Italiæ regnum nequicquam neglexiſſe, ſed ideo hodienum eius-

dem alere Archi-Cancellarium, quod etiam eſt iudicium Dn. ZSCHAKWITZII in den Rechts-Ausſprüchen *P. I. p. 35.* Et hoc omni dubio caret, quod dignitatis aut officii collatio ius eius præſupponat, qui confert. Ceterum adprime huc faciunt verba cl. ZSCHAKWITZII *c. l. P. II. p. 240. 241.* Der Cöllniſche Ertz-Biſchoff aber iſt in denen gar ältern Zeiten eigentlich der Primas in Belgio, oder in der Pelger und Bataver ihrem Staate geweſen, dergleichen er ebenfalls abgegeben, als in dem Fränckiſchen Staate das Regnum Lotharienſe entſtande, daher ſich denn die Urſache gleich findet, warum ſelbiger das Ertz-Cantzlar-Amt von Italien bekommen, welches zwar insgemein ſehr ſpath, und nicht unter dem Teutſchen Kayſer, Ottone I. geſchehen zu ſeyn, vorgegeben wird, wie dieſes die beynahe einhellige Lehre faſt aller Publiciſten zu ſeyn pfleget: Sie werden aber nicht übel nehmen, daß man desfalls von ihrer Meynung auch abgehet, und vielmehr behauptet, daß das Ertz-Cantzlar-Amt von Italien, allerdings von gedachtem Kayſer Ottone I. herrühre, mithin ſolches gleich damals mit dem Ertz-Biſchoffthum Cölln ſey verknüpfet worden. Denn weil der Ertz-Biſchoff von Mayntz die Ertz-Cantzlar-Würde von dem Teutſchen Reiche, der von Magdeburg aber die von der Provincia Saxoniæ insbeſondere und der von Trier, die von den Königreich Arelat führete, ſonſt aber kein Ertz-Biſchoff in Teutſchland, und deſſen Zubehörungen mehr übrig war; So ergiebet ſich ja hieraus von ſelbſten, daß gedachte Würde alſobald an den Ertz-Biſchoff von Cölln gekommen, als vorberührter Kayſer Otto I. Italien

ſich,

ſich, und ſeinem Hauſe gewonnen hatte. Es will ſich auch nicht die mindeſte vernünfftige Urſache finden, warum dieſe Würde und Amt ebenfalls nicht gleich anfänglich an das Ertz-Stifft Cölln ſolte ſeyn verknüpfet worden, da doch ſolches bey Mayntz und Trier vorhanden, indem es in denen Verrichtungen, und Angelegenheiten des Königreichs Italien ſehr befremdlich ausgeſehen haben würde, wenn das Archiv von ſelben, bald in dieſes, bald in eines andern ſeinen Händen geweſen wäre, dergleichen gedichtete befremdliche Verwaltung von einem ſo wichtigen Amte ſich vielleicht in keinem Staate finden dürffte. Dieſemnach hat es ſeine gute Richtigkeit, daß der Ertz-Biſchoff von Cölln, offt berührtes Ertz-Cantzlar-Amt gleich anfänglich mit ſeiner Geiſtlichen Würde beſtändig verknüpfet bekommen. Hierwider wird gantz nichts thun, daß bisweilen ein anderer denen Italiäniſchen Verrichtungen vorgeſtanden, weil ſolches auf keine andere Art, als per modum ſubſtitutionis geſchehen, indem ja ohne diß nichts gewöhnlicher iſt, als daß ein groſſer Staats-Bedienter ſein Amt bisweilen durch einen andern verſehen läſſet.

§. XX.

Quæ adhuc dicta ſunt, ſatis, ut opinor, indicant, imperatores non ſine cauſſa de perpetuo Regni Italiæ Archi-Cancellario conſtituendo ſollicitos fuiſſe. Vti enim Italiæ regnum ab Ottonis M. adquiſitione Germanico imperio inſutum atque innexum eſt, adeo, ut reges Germaniæ ſtatim poſt electionem ſimul ſint regni Italiæ domini; ita profecto veriſimile fit, eos ideo voluiſſe, ut in Colonienſi eccleſia etiam regni Italiæ ſtaret Archi-

Cancellariatus excelſa dignitas, nec unquam ab ea divelleretur, & Colonienſes Archipræſules ſtatim quoque poſt electionem fierent Italiæ Archi-Cancellarii.

§. XXI.

Habes itaque L. B. Italiæ Archi-Cancellariatum a primis natalibus inveſtigatum, &, ſi hunc meum laborem æqui bonique habiturus ſis, forſan mox tibi officium Archi-Cancellarii per regnum Arelatenſe, pari induſtria explicatum, exhibebo. Siſto nunc viam, & opuſculo impono

F I N E M.

ROMA
VITTORIO EMANUELE

Google

Digitized by Google

Digitized by Google